

de hæresi secunda, convincimus contra hæreticos: qui illa Pauli verba nituntur in alium sensum detorquere: & inferius in titulo de purgatorio, hæresi prima hoc idem testimonium sanctorum patrum comprobabimus. Est adhuc aliud Pauli testimonium pro peccato veniali in epistola ad Hebræos (cap. 5.) ubi de officio Sacerdotis agens, hæc ait: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis que sunt ad Deum: ut offerat dona & sacrificia pro peccatis, qui condolare possit iis qui ignorant & errant; quoniam & ipse circumdatus est infirmitate. Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam, & pro seipso offerre pro peccatis.* Ex istis Pauli verbis Hieronymus, libro 2. contra Pelagianos colligit esse aliqua peccata, quæ simul stant cum iustitia: quoniam non est tanta illorum malitia, neque adeo iustitiæ repugnant, ut illis advenientibus statim iustitia peccat. Sic enim ait: Numquam pro aliis juberetur offerre, nisi iustus ipse esset: neque rursus pro se offerret, nisi peccato careteret. Hæc Hieronymus. Ex cuius verbis apertissime constat illum sentire, Sacerdotem iustum in peccato veniali existentem, & pro suo peccato orantem, & hostiam offerentem impetrare à Deo sui peccati veniam. Nam si in peccato mortali oraret, & hostiam offerret, non impetraret sui peccati indulgentiam, sed magis auget peccatum, & Deum magis ad iram concitaret. Concordat Paulo Jacobus Apostolus, qui semel & iterum docet aliqua esse peccata, quæ non sunt mortalia. *Unusquisque vero tentatur, inquit ille, (cap. 1.) à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem.* In quibus verbis duo peccatorum genera manifestat: unum quod non est consummatum, & de hoc non dicit quod generat mortem. Alterum est consummatum, & hoc dicit generare mortem. Primum peccatum est affectio prava à concupiscentia carnis genita, in qua voluntas aliquam partem moram trahit sine vera deliberatione rationis, & hoc est peccatum veniale. Dicitur autem non consummatum peccatum, quia factum est sine illa advertentia & deliberatione, quæ necessaria est ad consummationem peccati. Quum autem intellectus recte advertit, & voluntas noluit reprimere illos motus à concupiscentia procedentes, nec voluit allidere parvos illos ad petram, sed ex deliberatione consentit, tunc est jam consummatum peccatum, & tunc generat mortem, diciturque ob eam causam peccatum mortale. Et hunc esse verum & germanum illorum verborum Jacobi sensum, constare facile potest ex illis, quæ dicit Beda in Commentariis, quæ fecit supra epistolam Jacobi, ubi prædicta verba interpretans, hæc ait. Tribus modis tentatio agitur, suggestione, delectatione, consensu. Suggestione hostis, delectatione autem, vel etiam consensu nostræ fragilitatis: quod si hostis suggerente, delectari, aut consentire peccato nolumus, tentatio ipsa nobis ad victoriam provehit, qua coronam vitæ mereamur accipere. Si vero & hostis suggestione, paulatim à recta intentione abstrahimur, & vitio incipimus illi, delectando quidem offendimus, sed necdum lapsum mortis incurrimus. At si delectationem concepti corde facinoris, etiam partus pravæ sequitur actionis, nobis jam mortis reis victor hostis abscedit. Hæc Beda. In quibus verbis aperte docet ex verbis Jacobi esse quædam Dei offensas, per quas non incurrimus lapsum mortis, esse rursus alias, quæ nos efficiunt mortis reos. Sed oportet hic admonere minus cautum, & non admodum doctum lectorem, ut per illa verba Bedæ, par-

tus pravæ actionis, non intelligat solam opus exterius perpetratum, sed illam etiam volitionem, qua vult ipsum scelus operari: quia illa volitio est quæ verius, quam opus externum dicitur actio, & quæ vere etiam sine opere exteriori est peccatum mortale. Et hoc testimonio Jacobi simul cum Commentario Bedæ, non solum convincitur Calvinus, sed etiam Lutherus, dicens omne peccatum hominis baptizati esse veniale, præter infidelitatem. Nam Jacobus de omni peccato, quod à concupiscentia oritur, dixit. *Peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem.* Ex quo testimonio evidentissime colligitur, non solum infidelitatem esse peccatum mortale. Est adhuc aliud ejusdem Jacobi testimonium, quo aperte probatur non omne peccatum esse mortale, sed aliquod esse veniale. *In multis, inquit ille, offendimus omnes.* Quæ verba nullo modo possunt intelligi de offensa peccati mortalis, quia falsum esset, quod omnes, etiam si de solis adultis loquamur, offendunt Deum in multis peccatis mortalibus. Nam aliqui fuerunt sancti, quos nunquam peccasse mortaliter tota hæcenus semper docuit Ecclesia, ut fuit sanctissima virgo Dei genitrix, & Joannes Baptista & Hieronimus, qui duo in utero matris sanctificati fuerunt. Quod autem de hujusmodi peccatis venialibus locutus fuerit Jacobus, testatur Beda in Commentariis super eandem epistolam, ubi præfata verba declarans, hæc ait: Præmissis in multis, subjunxit omnes: ut tanto cautius se imperfecti quique in agendo, vel loquendo circumspicerent, quanto certius cognoscerent, quia nec perfecti quidem boni, & qui Spiritus Sancti gratia duce incedunt, hujus vitæ viam absque offensione peccati alicujus transire ulla tenentur possint, juxta quod alibi scriptum est. *(Job. 15.) Celi non sunt mundi in conspectu ejus.* Et sicut Salomon ait. *(Ecl. 7.) Quia non est homo justus in terra qui faciat bonum, & non peccet.* Hæc Beda. Ecce vides, Calvinus, viros perfecte bonos esse in peccato, & non mortali: quia tale peccatum non admittit perfectionem bonitatis: ergo aliquid est peccatum, quod non est mortale. Præter hæc omnia tam manifesta sacra scripturæ testimonia, unum mihi occurrit argumentum, quod satis mihi esse videtur ad convincendum simul Lutherum & Calvinum. Nam cum hi duo in hæc parte sint in duobus oppositis extremis constituti, & ambo velut ex diametro pugnent, ambo tamen sunt in Deum blasphemii, & illum manifesta injuria afficiunt. Nam Calvinus dicens omne peccatum esse mortale, & morte perpetua dignum, Deum pronuntiat nimis austerum & severum, ne dicam crudelem. Severitas quidem, & austeritas non modica esset, si ob quamlibet levissimam offensam Deus hominem morti perpetuæ adjudicaret. Non posset certe tunc jugum Christi dici suave, & onus ejus leve, sed potius esset tam grave, quod nec nos, nec patres nostri, immo nec ullus hominum portare posset. Vix enim ullus homo posset esse justus, si Deus minimam quamque offensam æstimaret peccatum mortale: quia fere nullus est, qui sæpe quotidie non peccet. Esset etiam Deus levis, & inconstans amicus, si ob quamlibet levissimam offensam rescinderet semel contractam amicitiam. Nam ipsa natura nos docet, multa esse amicis condonanda. Hæc igitur omnia considerans non possum, non compati Calvinus & misereri illius: quoniam timeo ne, juxta id quod Jacobus (cap. 2.) ait: *Judicium sine misericordia Deus faciat illi, propterea quod censet illum tam parum esse misericordem.* Timeo ne juxta illam quam putat Deum ad omnes dedisse legem, illum examinare & judicare velit,

lit, puniens omne peccatum illius perinde, ac si vere peccatum mortale fuisset. Quod si Deus ita facere decreverit, dubio in aliquis acerbior, & intolerabiliorem gehennam in inferno patietur. Nec minorem, quam Calvinus facit Deo injuriam Lutherus, quum dicit omne peccatum post baptismum susceptum esse veniale, præter infidelitatem, quam solum dicit esse peccatum mortale: nam hæc dicens, censet Deum nimis remissum & parum justum, propterea quod pessimis & sceleratissimis hominibus, & quibus multis & gravissimis rebus nocent proximis suis, facile indulgeat. Hæc autem tanta facilitas veniæ, ut ipsa constet, manifestum præberet hominibus incentivum delinquendi. Hoc vero si Lutherus Deo tribuere non erubescat, manifestum contra Deum dicit blasphemiam: quia constat Deum tam anxium & sollicitum fuisse avertendi homines à peccatis, ut non fuerit contentus nobis prohibere peccata, sed etiam omnes omnium peccatorum occasiones. Non satis est credere Deum misericordem, nisi etiam credamus justum: quia, ut ait Sapiens, *(Prov. 20.) misericordia & veritas custodiunt Regem.* Et Propheta Regius ait: *(Psal. 98.) Honor Regis judicium diligit.* Accedit ad hæc omnia concors sacrorum omnium Doctorum sententia: quia omnes Catholici citra omnem controversiam semper hæcenus docuerunt, esse aliqua peccata mortalia, & aliqua venialia. Quamquam illi antiquiores Doctores aliis nominibus sunt usi, dicentes aliqua esse peccata gravia, alia levia. Quæ illi priores dixerunt levia, posteriores appellant mortalia: & quæ illi dixerunt gravia, isti appellant venialia. Scholasticus Theologus nolo impræsentiarum citare: quoniam Lutherus & Calvinus eos omnes hæc sola ratione, immerito tamen, rejiciunt, quod Scholastici sunt. Richardus de sancto Victore extra scholam est, & opusculum ædidi hoc titulo & nomine inscriptum, de differentia peccati mortalis & venialis. Anselmus super illud Apostoli ex priorie epistola ad Corinthios: *(cap. 3.) Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, &c.* aperte docet esse aliqua levia peccata quæ à iustis in futuro sæculo, in purgatorio igne consumuntur. Haymo eadem verba Pauli declarans in Commentariis super epistolam Pauli, eandem prorsus sententiam docet, sed multo melius quam Anselmus: & ideo istius verba hic citare decrevi Anselmi verbis dimissis. Per aurum, inquit Haymo, & argentum, & lapides pretiosos, possumus intelligere bona opera virtutesque præclaras: per sœnum vero, lignum, stipulam, levia peccata, sicut est otiosus sermo, risus inhonestus, & cætera talia. Per plumbum vero, ferrum, atque stannum, quæ sancti Doctores addunt, gravia & immanissima peccata quæ à regno cælorum separant. Igitur sicut aurum & argentum, & lapides pretiosi igne probantur, & tamen non consumuntur: ita in die iudicii qui habuerint bona opera, & bonam prædicationem, licet per ignem transeant, tamen nullam pœnam, neque læstram sustinebunt: qui vero habuerint levia peccata, transeundo per ignem expiabantur: quia consumuntur ibi sicut sœnum, vel stipula, sive ut ligna comburentur ab igne, tamen ipsi non remanebunt in igne, sed mundari & probati ascendent ad Dominum. At, qui habuerint gravia peccata, quæ à regno cælorum separant, sicut ferrum & plumbum, sive stannum, liquebunt quidem, sed non deficiunt per ignem: ita illi ponderis peccatorum graviter, remanebunt in igne, & sustinebunt pœnas non deficientes. Hæcenus Haymo. Desinat ergo mirari Calvinus, & arguere patres Concilii Tridentini, propterea quod in suis definitionibus dixerunt esse aliqua levia peccata, ac

si patres illi fuissent primi, qui peccata aliqua dixerunt esse levia. Certe Anselmus ante quingentos annos fuit, & Haymo ante septingentos: & ambo docent esse aliqua peccata levia, sic appellata, quia non sunt digna, ut morte æterna puniantur. Ex Beda, Gregorio, Hieronymo, Chrysostomo non est opus nova citare testimonia, quia sufficiunt ea quæ ex illis jam in hac disputatione citavi. Augustinus sæpissime nominat peccata venialia, & illa dicit esse levia, & à peccato mortali longe distantissima. In libro de bono conjugali, cap. 6. hæc ait: *Conjugalis enim concubitus generandi gratia non habet culpam: concupiscentiæ vero satiatione, sed tamen cum conjugate, propter fidem thori, veniale habet culpam: adulterium vero sive fornicatio lethalem habet culpam.* Et in eodem libro, capite nono iterum ait: *Sane videndum est nobis, alia bona nobis Deum dare, quæ propter seipsum expectanda sunt, sicut est sapientia, salus, amicitia: quæ propter aliquid sunt necessaria, sicut doctrina, cibus, potus, somnus, conjugium, concubitus. Horum enim quedam necessaria sunt propter sapientiam, sicut doctrina: quedam propter salutem, sicut cibus, potus, somnus: quedam propter amicitiam, sicut nuptiæ vel concubitus: hinc enim subsistit propagatio humani generis, in quo societas amicabilem magnum bonum est. His itaque bonis quæ propter aliud necessaria sunt, qui non ad hoc propter quod instituta sunt utitur, peccat alias venialiter, alias damnabiliter.* Hæc Augustinus. In quibus verbis apertissime distinguit peccatum veniale à mortali. Et peccata levia nominat in libro de spiritu & littera, capite trigésimo sexto, sic dicens: *Peccatum erit hominis ex fide viventis, aliquando alicui delectationi illicitæ consentire, non tantum in illis horrendis facinoribus, & flagitiis perpetrandis: verum etiam in istis levioribus, ut vel aurem alicui vocem, quæ audienda non esset, vel linguam alicui quæ dicenda non esset, accommodet.* Et libro primo de symbolo, capite sexto, cathecumenos alloquens, ait: *Non vobis dico, quia sine peccato hie viveris: sed sunt venialia, sine quibus vita non est.* Propter omnia peccata baptismus inventus est. Propter levia, sine quibus esse non possumus, oratio inventa. Hæc Augustinus. Accusa ergo Calvinus Augustinum, propterea quod aliqua peccata dixit esse levia: irride illum & subsanna, sicut propter eandem causam subsannasti Patres Concilii Tridentini. At illi nolunt retaliare subsannationem tuam, sed potius Christum magistrum nostrum æmulantes, cum his qui oderunt pacem volunt esse pacifici, quia sequuntur bonitatem. Timent tamen ne tibi eveniat id quod Salomon de Deo loquens, ait: *(Prov. 3.) Ipse deludet illusores.* Sed jam opus est, ut respondeamus argumento, quo nos premere putat Calvinus. Si pro nihilo, inquit ille, ducant leviores, quos vocant lapsus, insonat horribilis illa supremi iudicis sententia: *(Mat. 5.) Qui unum ex istis minimis mandatis contempserit, minus vocabitur in regno cælorum.* Hæc ille. In hoc argumento Calvinus resecat ipsam Evangelii litteram, ut illa possit aliquo modo uti ad sui erroris comprobationem, prout alias sæpe faciunt hæretici tollentes à sacris litteris, ea quæ cum suis assertionibus pugnant. Nam Calvinus in illa Christi verba, quæ nunc pro se citavit, non protulit integra, sed abstulit ab illis ea, ex quibus tota illius sententiæ vis penderet. Abstulit enim hæc verba: *Et docuerit hæc homines.* Sic enim Christus ait: *Qui ergo solaverit unum de minimis mandatis istis, & docuerit*



damus. Præcepit enim nos Apostolus esse in tribulatione patientes, qui etiam correptionem præsentis temporis ad evitandam futuri iudicii penam multum nobis prodesse testatur, dicens: (1. Cor. 11.) *Cum iudicamur autem, à Domino corripiamur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Hæc Fulgentius. Quibus verbis aperte docet per pœnas huius vitæ evitari pœnas alterius: & non ex proprio cerebro (ut Lutherus facit) hæc docuit, sed testimonio Pauli idem dicentis. Bucherius Lugdunensis Episcopus super Libros Regum sic ait: Si peccatum David tam detestabile Dominus transiit, quid est quod omnia quæ de eodem peccato per Prophetam ei à Domino dicta sunt, postmodum toleravit? Sed proculdubio dominus delet illud, sed sine ultione non deferit. Aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccato parcat, quod nullatenus sine vindicta dimittit. Sic enim David audire post conversionem meruit: *Dominus transiit peccatum tuum.* Et tamen multis post cruciatibus afflictus ac fugiens, reatum culpæ quam perpetraverat, exolvit. Sic nos salutis unda à culpa primi parentis absolvit: sed tamen reatum eiusdem culpæ diluentes, absoluti quoque adhuc carnaliter obimus, quia delicta nostra sive per nos seu per seipsum resecat, etiam cum relaxat. Ab electis enim suis iniquitatum maculas studet temporali afflictione tergere quæ in eis in perpetuum non vult vindicare. Hæc Bucherius. Nihil poterat apertius dici pro ea satisfactio- ne peccatorum quam conamur asserere. Christianus Druth- marus eidem sententiæ subscribit, qui in expositione super Matthæum ita ait: *Fructum dignum pœnitentiæ facere est præterita mala stertibus punire, & bona è contrario agere, ut sicut exhibuimus membra nostra servire in iustitiâ, ita exhibeamus eadem servire iustitiæ in sanctificationem, vel fructus dignos pœnitentiæ, bona agere, & male commissa elemosinis redimere.* Hæc ille. Plura certe pro huius veritatis defensione possem citare sacrorum virorum testimonia: sed causa vitandæ prolixitatis omisi: & si quis ea videre cupit, inveniet ea citata à Joanne Rossensi Episcopo in articulo quinto illius magni operis quod fecit contra Lutherum, & in Jacobo Latome in eo opere quod fecit pro assertionem determinationis Lovaniensis adversus Lutherum. Uterque enim istorum multa pro hac re coacervavit sacrorum virorum testimonia. Mihi autem placuit ex meo labore hæc pauca proferre, quoniam à nullo istorum virorum aliquis eorum remissionem perivit. Illorum ergo testimonia ideo citavi, ut rem ab illis plene confirmatam, firmiorem ostenderemus. Denique hæc Lutheri assertio vincitur esse hæretica definitionibus aliquorum generalium Conciliorum. Nam Concilium Florentinum sub Eugenio quarto celebratum in definitione fidei circa Sacramenta Ecclesiæ Armenis data, De Sacramento Pœnitentiæ differens hæc ait: *Quantum Sacramentum est pœnitentia, cuius quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio: ad quam pertinet ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Secunda est oris confessio: ad quam pertinet ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia, satisfactio pro peccatis secundum arbitrium Sacerdotis quæ quidem præcipue fit per orationem, jejuniâ, & elemosinam.* Hæc Concilium Florentinum. Concilium Tridentinum multo fufius & copiosius hanc assertionem damnat. Nam sessione sexta sub Paulo tertio celebrata, capite quatuordecimo de-

clarans modum quo lapsi reparari possint per pœnitentiam, hæc ait: *Etenim pro iis qui post baptismum in peccata labuntur, Christus Jesus Sacramentum instituit pœnitentiæ, cum dixit: (Joan. 20.) Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Unde dicendum est, Christiani hominis pœnitentiam post lapsum, multo aliam esse à baptismali, eamque conerere, non modo esse cessationem à peccatis, & eorum desertationem, aut cor contritum & humiliatum, verum etiam eorumdem Sacramentorum confessionem, saltem in voto, & suo tempore faciendam, & sacerdotalem absolutionem, itemque satisfactio- nem per jejuniâ, elemosinâs, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia, non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto, una cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali, quæ, ut sacra litteræ docent, non tota semper, ut in baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei quam acceperunt, ingrati, Spiritum Sanctum contristaverunt, & templum Dei violare non sunt veriti, de qua pœnitentia scriptum est: (Apoc. 2.) *Memor esto unde exideris, age pœnitentiam, & prima opera fac.* Et iterum: (2. Cor. 7.) *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Et rursus: (Marth. 3.) *Pœnitentiam agite, & facite fructus dignos pœnitentiæ.* Et post datam hanc doctrinam ne aliquis contra illam doceat, aut quomodolibet asserere auderet, idem Concilium canonem anathematis contra huiusmodi temerarios edidit, qui trigesimo loco constitutus, hæc verba continet: *Si quis post acceptam justificationis gratiam, cullibet peccatori pœnitenti, ita culpam remitti & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exolvendæ, vel in hoc sæculo vel in futuro, in purgatorio, antequam ad regna celorum aditus patere possit, anathema sit.* Hæc Concilium Tridentinum in illa sexta sessione. Postea vero idem Concilium sub Julio tertio procedens sessione quarta sub eodem Julio celebrata multo apertius declaravit omnia, quæ de Sacramento pœnitentiæ sunt necessario credenda: Quam doctrinam novam distinxit capitulis, & in tertio illorum, partes integrales pœnitentiæ declarat, sic dicens: *Sunt autem quasi materia huius Sacramenti, ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hæc ratione pœnitentiæ partes dicuntur.* Hæc Concilium Tridentinum in uno capitulo, & postea in aliis capitulis de prædictis partibus pœnitentiæ sigillatim distinxit, & quia illius definitiones ad contritionem, & confessionem spectantes jam supra in suis titulis citatæ sunt, non est opus eas nunc repetere. Quæ autem ad satisfactio- nem attinent, in octavo & nono capitulis definitionis datæ in illa præfata sessione continentur, & sunt quæ sequuntur. Demum quod ad satisfactio- nem, quæ ex omnibus pœnitentiæ partibus, quemadmodum & patribus nostris Christiano populo fuit perpetuo tempore commendata, ita una, maxime nostra ætate summo pietatis prætextu impugnatur ab eis qui speciem pietatis habentes, virtutem ejus abnegant, Sancta Synodus declarat, falsum omnino esse & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur. Perspicua enim & illustrata in sacris litteris exempla reperiuntur, quibus præter divinam traditionem is error quam manifestissime revincitur. Sane & divina iustitiæ ratio exigere videtur ut aliter ab eo in gratiam recipiantur,

qui

qui ante baptismum per ignorantiam deliquerunt: aliter vero qui semel à peccati & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, ferentes templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contristare non formidaverunt. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactio- ne peccata dimittantur, ut occasione accepta peccata leviora putantes velut injuri, & contumeliosi Spiritui Sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ. Proculdubio enim magnopere à peccato revocant, & quasi fræno quodam coercent hæc satisfactio- nis pœnæ, cautioreque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt, medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt, nec vere securior illa via in Ecclesiâ Dei, unquam existimata fuit ad advolvendam imminetent à Domino pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines jam vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, (Rom. 8.) conformes efficiamur, certissimam quoque arram habentes, quod si compatimur & conglorificabimur, neque vero ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exolvimus, ut non sit per Christum Jesum. Nam qui ex nobis, tamquam ex nobis nihil possumus, ita non habet homo unde glorietur, sed omnis gloria nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur patri, & per illum acceptantur à patre. Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutes & convenientes satisfactio- nes injungere, ne si forte peccatis coniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt non sit tantum ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem. Nam claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed ad ligandum concessas etiam antiqui patres, & credunt & docent, neque propterea existimant Sacramentum pœnitentiæ esse forum iræ, vel pœnarum, sicut nemo umquam Catholicus sensit: ex huiusmodi nostris satisfactio- nibus, vim meriti & satisfactio- nis Domini nostri Jesu Christi, vel obcurari, vel aliqua ex parte imminui. Quod dum novatores intelligere nollunt, ita optimam pœnitentiam novam vitam esse docent, ut omnem satisfactio- nis vim & usum tollant. Docet præterea tantam esse divinæ munificentie largitatem, ut non solum pœnis sponte à nobis, pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio, pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis apud Deum patrem, per Jesum Christum satisfacere valeamus. Hæc enim Concilium Tridentinum, in doctrina ab eo data. Sed ne quis contra hanc suam doctrinam temere doceat, aut quovis modo sentire audeat, contra huiusmodi temerarios contradic- tores, plurimos sententiæ lætæ Canones protulit, quorum quartus hæc continet verba: *Si quis negaverit, ad inter- gram & perfectam peccatorum remissionem, requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti pœnitentiæ, videlicet contritionem, confessionem & satisfactio-*

nem, quæ tres partes pœnitentiæ dicuntur: aut dixerit duas tantum esse pœnitentiæ partes, terrores scilicet incuscos conscientie agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutionem qua credit quis sibi per Christum remissa peccata, anathema sit. Duodecimus Canon hæc verba habet. *Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper à Deo, satisfactio- nemque pœnitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendit Christum pro eis satisfecisse, anathema sit.* Tertiusdecimus Canon sequentiâ habet verba: *Si quis dixerit pro peccatis, quoad pœnam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis & patienter toleratis, vel à Sacerdote, injunctis, sed nec sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, elemosinis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam, anathema sit.* Quartusdecimus Canon sequentibus verbis disponitur. *Si quis dixerit, satisfactio- nes, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum: doctrinam de gratia & verum Dei cultum, acque ipsum beneficium mortis Christi obcurant, anathema sit.* Quintusdecimus Canon & ultimus de pœnitentiâ, verba quæ sequuntur habet. *Si quis dixerit claves Ecclesiæ datas ad absolvendum, non etiam ad ligandum, & præterea Sacerdotes dum imponunt pœnas contentibus, agere contra finem clavium, & contra institutionem Christi, & fictionem esse quod virtute clavium sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exolvenda remaneat, anathema sit.* Hæc omnia ex Concilio Tridentino. Nunc superest, ut respondamus iis quæ nobis objiciunt Lutherus, & alii sectatores illius. Primo quidem objiciunt nobis id, quod Dominus per Ezechielem Prophetam (cap. 18.) promittit, se non recordaturum amplius omnium iniquitatum impij, si ille egerit pœnitentiam ab omni peccatis suis. Si post actam pœnitentiam, Deus non recordatur iniquitatum impij: ergo post culpam remissam, nullam Deus exigit pro peccato pœnam: quoniam si aliquam post remissionem culpæ Deus exigeret pro illo pœnam, jam recordaretur iniquitatum impij post illius pœnitentiam. Hoc argumentum facillime solvitur, si ipsa Dei verba in Ezechiele Propheta cum attentione legantur. Non enim promittit Deus se non recordaturum iniquitatum impij, si ille solum ob peccata sua fuerit corde contritus, sed hoc promittit hæc conditione, si impius egerit pœnitentiam. Ad pœnitentiâ integrâ, ut diximus, etiam complectitur satisfactio- nem, sicut contritionem & confessionem: & inde est quod non fuerit integram & perfectam pœnitentiam, qui pro peccato suo non satisfacit Deo: & ideo non est mirum, si Deus recordatur illius peccatum temporali aliqua pœna puniat illud. Quod si gratis Lutherus dare voluerimus, nomen pœnitentiæ in prædictis Dei verbis solum cordis contritionem significare, nihil adhuc ex illis verbis poterit contra nos colligere Lutherus. Quia in illis verbis non solum pœnitentiam petit Deus ab impij, ut iniquitatum illius non recorderetur, sed insuper exigit ab eo, ut faciat iudicium & iustitiam. Qui autem nullam præter cordis contritionem vult pro peccato subire exteriori pœnam, non facit iudicium & iustitiam. Nisi forte tanta esset cordis contritio, quæ merito compensaret defectum exterioris pœnæ. Quia non pro mensura delicti vult sibi pœnas infligere. Possimus adhuc aliter respondere, quod Deus illis verbis non tantam indulgentiam promittit, quantum Lutherus putat. Nam dicens se non recordaturum iniquitatum impij, so-

lum



que ipse suscipit fratres, & eos qui suscipiunt prohiber, suspicari non licet illum sensisse peregrinos omnes non esse suscipiendos, sed solos fideles Catholicos, quoniam hos appellat ibi fratres beatus Joannes. Et quidem hoc semper fuit solenne hæreticum, ut veris fidelibus essent infestis. Hoc enim apud Lutheranos modo contingit, qui veros fideles apud se recipere nolunt, & si quos forte permittant, male tractant, non tamen docent peregrinis aliis non esse impendendam humanitatem. Idem potuit contingere in Diotrefe, ita ut cum ab Ecclesia ob aliam causam fuisse divisus, fratres, hoc est veros fideles recipere noluerit, & alios ne id facerent, prohibuerit. Etsi tamen ita ille fensit, ut Bernardus de Lutemburgo illi tribuit: adversus hanc hæresim non est operosum disputare, eo quod apertissima sint sacra scriptura testimonia quæ illam oppugnant. Nam ipsemet Deus curam peregrinorum egisse videtur, cum molestiam ullam illis inferri prohibuit, sic inquit: (Exod. 23.) *Peregrino molestus non eris.* Nec solum molestiam vetuit, sed misericordiae opera præcepit illi, dicens: (Levit. 23.) *Postquam misueritis se getem terræ vestrae, non secabitis eam usque ad solum, nec remanentes spicas colligetis: sed pauperibus & peregrinis dimittetis eas.* Et iterum in alio loco: (Deut. 14.) *Peregrino qui intra portas tuas est, da ut comedat.* Præterea, si peccatum non esset peregrinis humanitatem negare, non illud Job à se excuteret, cap. 21. dicens: *Fortis non mansit peregrinus: osium meum viatori patuit.* Deinde, quam grave hoc sit peccatum, ipse Salvator ostendit cum apud Matthæum cap. 23. dicit se hoc peccatum in die iudicii aliquibus reproburum. *Hospes sui* (inquit ille) *& non recepistis me.* Ac post subdit, (Ibidem.) dicens illis, qui huiusmodi peccatum commiserunt: *Ita mandati in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius.* Constat ergo non minimam esse peccatum pro quo auctor æterna punitione damnatur: contra autem iis qui peregrinos & advenas induxerunt in domum suam, dicit (Ibidem) *Hospes sui, & recepistis me.* Et postea: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Non parva est virtus quæ regnum meretur accipere caelorum. Rursum (ut Origines annotavit homilia 5. super Genesim cap. 19.) Loth ab incendio Sodomorum & Gomorrhæorum propter solum hospitalitatem liberatus est.

Nullum enim præclarum illius gestum sacra narrat historia, præter humanitatem quam peregrinis inpendit, propter quam ab incendio liberari meruit. Demum ut undique hæresis profligeret, ostendam illam non solum Christianis, sed etiam Ethnicis fuisse exosam, & ab illis damnatam. Nam Aristoteles lib. 9. de historia animalium, cap. tricesimo secundo, de aquila loquens, ait: Senescentibus aquilis rostrum superius acrescit, incurvaturque subinde magis magisque, ut demum fame intereant. Cui rei data est fabula, ut hoc ita accidat aquilæ, quoniam cum olim homo esset, hospiti injuriam intulerit. Hæc ille. Vide quantum fuerit etiam Ethnicis abominabilis hospiti injuria, ut propter hanc solum hominem in aquilam transformatum fabularentur. Et de re tam manifesta plura forte erat necessarium, dixi.

POENITENTIA.

DE hac re unus est error Lutheri, quo docet non esse tres partes poenitentiae, sed optimam poenitentiam dicit esse novam vitam. Quem errorem ex suo cere-

bro fabricavit, nec ex alterius vetustioris hæretici officina deproptit, quod raro Luthero contigisse agnoscimus. Nam cum plures quam centum hucusque prodiderit errores, vix tres aut quatuor reperitur quos non hauserit ex putridis lacubus hæreticorum jam diu ab Ecclesia ejectorum: verum hoc loco neminem (quod sciam) habuit hujus erroris magistrum. Et veritas ille in quodam libro quem fecit pro assertionem articulorum à Leone Papa hujus nominis x. damnatorum, videatur hanc assertionem velut non suam rejicere, dicens eum non negare omnes tres partes poenitentiae, sed solum satisfactionem, quoniam contritionem & confessionem dicit inveniri & exprobari: satisfactionem autem negat haberi ex sacris libris: quapropter dicit satisfactionem nullam debere fieri pro delictis perpetratis: sed quod dimissa culpa, simul etiam remissa sit omnis poena peccato debita. Quamvis tamen Lutherus dicat se admittere contritionem & confessionem, factis tamen negat. Nam contritionem quæ sit per examinationem peccatorum, & eorumdem detestationem irridet, dicens illam esse meram hypocrisis. Confessionem auriculariam esse necessariam, negat. Satisfactionem in universum tollit. Ex quibus satis constat Lutherum non admittere tres poenitentiae partes, prout à Catholicis viris admittuntur. De contritione & confessione in suis titulis adversus Lutherum disputavimus. Quapropter solum superest ut ex sacris litteris ostendamus satisfactionem esse necessariam. Ut autem id apertius convincamus, prius oportet ostendere post dimissam per contritionem culpam, manere aliquam poenam solvendam juxta mensuram & poenae & temporis à Deo decretam. Hoc autem satis colligitur ex eo quod Moyses pro populo Israel Deum oravit Deus respondit. Nam cum Moyses orasset Dominum, dicens: (Num. 14.) *Dimitte obsecro peccatum populi hujus: respondit Dominus, Dimisi: at tamen omnes homines qui tentaverunt me, non videbunt terram pro qua juravi patribus eorum.* Ecce post dimissam culpam, reservatam adhuc poenam. Præterea non est dubitandum Moysen & Aaron statim doluisse & resipuisse de peccato incredulitatis & dissidentiae, quod apud aquas contradictionis commiserant: (Numer. 10.) poena tamen ob hoc illis à Domino definita non fuit illis relaxata, quoniam nunquam intraverunt terram promissionis, prout illis Dominus minatus fuerat. Rursum, David Rex cognoscens enormitatem & gravitatem culpæ quam in adulterio & homicidio commiserat, statim dimissa est illi culpa sua, quoniam sic illi denuntiatum est per Prophetam Nathan: (2. Reg. 12.) *Transiit quæque Dominus peccatum tuum.* Et tamen post dictam remissionem culpæ, idem Propheta prædixit illi multas calamitates & poenas eum passurum propter peccatum commissum, quas omnes postea passus est, ut secundus liber Regum testatur. Ecce hic David peccatum est dimissum, pro quo tamen multæ fuerunt poenae postea tolerandæ. Deinde idem Rex David videns Angelum Domini interficientem populum ejus pestilentissimo morbo propter peccatum quod ipse prius commiserat in eisdem populi numeratione, peccatum suum fatetur, dicens: *Ego sum qui peccavi, ego inique egi: isti qui oves sunt, quid fecerunt?* Vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei. Postquam humilem confessionem non est dubitandum quin statim illi fuerit dimissum peccatum, sicut alias factum esse narravimus. Et tamen culpa jam dimissa præcipitur illi per Gad Prophetam ut extruat altare Domino in area Azeunæ Hiebusæ, & super illud offerat holocaustum ad placandam Dei iram. At hæc oblatio non esset

esser illi injuncta, nisi post dimissum peccatum restaret aliqua poena solvenda, in cuius satisfactionem talis oblatio fieri deberet. Et hæc mihi sufficere videntur ad ostendendum post dimissam culpam restare aliquam poenam temporalem solvendam. Quod si aliqua poena solvenda restat post dimissam culpam, in illius ergo poenae compensationem potest homo aliquam poenam ulro tolerare, & hæc poenae voluntaria & libera tolerantia, est alterius poenae debita satisfactio. Hoc autem scripturae sacrae expressis testimoniis ostendimus esse verum. Propheia Daniel Regem Babylonis hortatur ut hujusmodi satisfactionem pro peccatis suis faciat, sic dicens: cap. 4. *Peccata tua elemosynis redime, & iniquitates tuas misericordis pauperum.* At peccata juxta reatum culpæ non redimuntur elemosynis, quoniam potest quis elemosynas facere, & B esse in peccato. Ergo poena peccato debita est, quæ redimitur elemosynarum largitione. Et hanc poenae redemptionem sacri Doctores non solum recentes, sed etiam vetustissimi appellaverunt satisfactionem pro peccato. Quod ideo dixi, quia Lutherus abominatur nomen satisfactionis. Ubi autem res constat, non expedit de nudis verbis contendere. Verum quantum ego suspicor Lutherus magis odit ipsam satisfactionem, quam nomen satisfactionis. Ex unguibus enim (ut est in proverbio) licet estimare Leonem. Præterea, elemosynam satisfacere pro peccato, testatur ipse veritatis magister, qui postquam reprehenderat Phariseos de rapina & iniquitate, dixit illis: (Luc. 11.) *Quod sperest, date elemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Et constat eum loqui de satisfactione pro peccato, & non de reatu culpæ: nam alioqui existentem in peccato, sola elemosyna non faciet ut omnia sint munda. Rursum, de oratione quod pro peccato satisfaciatur, testatur Sapiens cum ait: (Ecc. 21.) *Fili peccasti, ne adicias iterum, & de præteritis deprecare ut dimittantur tibi.* Attendat hic Lutherus, & videat non esse satis ad veram poenitentiam vitæ innovationem. Nam postquam Sapiens præcepit vitæ emendationem dicens: ne adicias iterum: tamquam hoc non satis esset, addidit, & de præteritis deprecare, ut dimittantur tibi. Deinde ad ostendam omnem satisfactionem in genere, efficacissimum est illud quod Joannes Baptista prædicans ait: (Matth. 3.) *Facite fructus dignos poenitentiae.* Quem locum petra tractans Chryostomus super Matthæum ait: *Quomodo fructificare poterimus? Si urique peccatis adversa faciamus. Aliena rapuisti, incipe donare jam propria. Longo es tempore fornicatus, à legitimo quoque usu suspendere, conjugii, ac perpetuam continentiam sepius paucorum dierum castitate medicare. Injuriarum vel opere cuiusquam vel sermone fecisti, refer benedictionis verba contumitiis: & percuientes te, nunc officis, nunc etiam beneficiis placare contende.* Hæc Chryostomus. Ex quibus verbis patet quæ sint pro peccati compensatione faciendæ. Beatus Gregorius homilia vicesima ad eundem modum illum locum interpretatur. Beatus Paulus in ea quæ est ad Romanos epistola cap. 6. pro hac re testimonium reddit, dicens: *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditie & iniquitati ad iniquitatem, ita exhibete membra vestra servire iustitie in sanctificationem.* Quæ verba exponens Theophylactus ait: *Neque enim cum facinus aliud quod unum admittetis, illo contenti, reliquias per vos finis inponebatur, sed scelus unum aliud succedebat, ut vestra nequitia in majus excreceret. Pari ergo mensura exhibentes membra hæc vestra pro pristina illa immunditia, quod reliquum vobis est vite degatis.* Hæc Theophyl.

lactus. Ex quibus verbis constat locum illum Pauli esse intelligendum de compensatione aut satisfactione pro peccatis faciendâ prout mensura delicti exigit, ita ut juxta mensuram delicti sit plagarum modus, non solum in alia vita, sed etiam in ista. Accedit ad hæc, quod omnes sacri Doctores concorditer sentiunt esse aliquam satisfactionem pro peccatis faciendam, etiam postquam peccata per contritionem dimissa sunt. Ex quibus aliquorum dicta subjiciam, quo res clarius pateat. Isthic namque libro quarto super Leviticum, ita ait: *Emundatio lepræ est poenitentia.* Hæc autem opera necessaria habet, quæ virtutibus & actionis studio valeant delere peccata. Propter quod Joannes Baptista, ut Matthæus testatur cap. 3. populo Judæorum dicebat: *Facite fructum dignum poenitentiae.* Consideravit enim, sicut subtilis legislator, eos qui non omnia possint quæ pertinent ad strictam rationem poenitentiae exhibere. Opus enim habet poenitentia orationem intentionem elemosynam, vigiliis, sacrum jejunium, postremo etiam illa quæ David dicit: (Psal. 41.) *Facite sunt mihi lachrymæ meae panes die ac nocte, & lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Sed & cinerem tamquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscbam.* (Psal. 101.) Hæc Isthic. In quibus verbis id potissimum annotandum est, quod dixit, poenitentiam habere opus orationem perfectam, elemosynam, vigiliis, sacrum jejunium, lachrymas, & reliquos vitæ præsentis labores. Quam autem dicit, hæc omnia esse necessaria ad poenitentiam, de poenitentia sacramentali completa, & omnibus suis partibus integra loquitur: quæ simul complectitur contritionem, confessionem, & satisfactionem, tamquam tres illius partes integrantes. Non enim sunt omnes ille tres partes essentielles poenitentiae, ita quod sine aliqua illarum sacramentalis poenitentia esse non possit: quia confessio integra peccatorum cum qualibet parva illorum displicitia, poenitentia vera est, quæ valet ad delendum omnem culpam: sed non est integra & completa poenitentia, quia destit illi una pars, videlicet satisfactio, quæ ex se non ordinatur ad deletionem peccati, sed solum ad deletionem poenae. Cum autem dico confessionem esse partem poenitentiae sacramentalis, intelligo nomine confessionis non solum illam prolationem peccatorum suorum quam coram sacerdote peccator facit, sed etiam ipsius Sacerdotis absolutionem: quoniam alias plures essent quam tres partes integrantes poenitentiae sacramentalis, & oportet addere quartam, videlicet Sacerdotis absolutionem. Concilium autem Florentinum non nominavit nisi tres, & ideo necessarium est, ut nomine confessionis intelligamus etiam absolutionem. Isthic ergo dicens illa opera laboriosa esse necessaria ad poenitentiam, satis aperte declaravit satisfactionem esse partem poenitentiae, & valere ad purgandas poenas peccato debitas post culpam dimissam. Nam opera illa, ut constat, non sunt necessaria ad contritionem, neque ad confessionem, neque ad deletionem culpæ: illud ergo ad quod sunt necessaria præter confessionem, & contritionem, & deletionem culpæ, nos vocamus satisfactionem, quæ non ad purgandum culpam, sed ad recompensationem aliquam pro poena peccato debita valet. Beatus Fulgentius in epistola ad Venantiam De recta poenitentia, circa finem epistolæ, sic ait: *Conversi de remissione peccatorum nullatenus desperemus, tenentes Domini fidele promissum, quo ait: Cum convexus fueris, & ingemueris, salvus eris.* Pressuras tribulationesque præsentis temporis longanimiter toleremus, & à timore Dei nullatenus rece-



fic homines, minimus vocabitur in regno caelorum. Ex quibus verbis constat non propter hanc solam causam vocari aliquem à Christo minimum in regno caelorum, quia solvit unum de mandatis minimis: sed quia solvendo illa, docet alios sic esse faciendum.

Quamvis ergo solvendo minima quis peccet venialiter, docendo tamen alios, ut sic faciant, peccat mortaliter, quia peritiose mentitur, & scandalum iniquitatis ponit coram proximo suo, dicendo sic esse ab omnibus faciendum, quemadmodum ipse facit. Deinde, etsi non doceat alios facere quod facit, sed doceat quodvis aliud; quia tamen major in doctore, quam in discipulo requiritur iustitiæ perfectio, ideo quod in aliis esset parvum & leve peccatum, in illo estimatur magnum & grave. Et huic nostræ interpretationi favet Hieronymus, qui in Commentariis super Matthæum prædicta Christi verba interpretans, ait: „Hoc capitulum cum superiori hæret testimonio, in quo dixerat: *Sola unum, aut apex unus non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Sugillat ergo Phariseos, qui contemptis mandatis Dei, statuebant proprias traditiones: quod non profit eis doctrina in populis, si vel parvum quod in lege præceptum est, destruat. Possunt autem & aliter intelligere, quod magistri eruditio, etiam si parvo peccato obnoxius sit, deducat eum de gradu maximo: nec profit docere iustitiam, quam minima culpa destruit. Et beatitudo persecta fit, quæ sermone docueris, opere complere.“ Hæc Hieronymus. Errat adhuc iterum Calvinus circa intelligentiam illorum verborum Christi, quæ pro se citat, nam minima mandata non appellat illo loco Christus ea, per quæ solum prohibentur peccata venialia, ut est mandatum de vitando verbo otioso, aut immodico risu, aut de aliis id genus mandatis: quia non de illis tunc dicebat: sed minima mandata dixit præcepta decalogi de quibus tractabat, & quæ tunc juxta verum illorum sensum interpretabantur. Vocavit autem illa præcepta minima, non propter res de quibus illa tractant, quoniam hæc vera magnæ sunt: sed propter seipsum qui illa tunc dabat, aut saltem interpretabatur, humilitatis causa temperavit sermonem, & modeste locutus dixit mandata minima: quia sua. Et hunc esse verum illorum Christi verborum sensum, testatur Chrysostronus, homilia 16. super Matthæum, ubi prædicta Christi verba interpretans, hæc ait: „Qua igitur gratia vocabit minima mandata, cum tam magna certe sint, atque sublimia? Quia conditurus erat ipse legem: sicut semetipsum humiliat, interdum & mediocriter de seipso loquitur: ita nunc etiam de præceptis suis: nos scilicet per hæc quoque docens mediocritatem ubique servare.“ Hæc Chrysostronus. Constat igitur apertissime ex his omnibus Calvinum frustra illa Christi verba per se citasse: quia nihil profusus in favorem illius dicunt. Denique hæc Calvinii sententia sæpe condemnatur definitione Concilii Tridentini. Nam sessione sexta, quæ celebrata est sub Paulo tertio, capite undecimo, docens fideles ea, quæ sunt ad salutem necessaria, inter alia hæc ait: Licet enim in hac mortali vita, quantumvis sancti & iusti, in levia saltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata quandoque cadant, non propterea desinant esse iusti, nam iustorum illa vox ( *Matth. 6.* ) est, & humilis, & verax, *dimite nobis debita nostra.* Est postea capite 15. hæc ait: Adversus etiam hominum quorundam ingenia, qui per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium, asserendum est, non modo infidelitate, per

quam & ipsa fides amittitur, sed etiam alio, quocumque peccato mortali, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti, divinæ legis doctrinam defendendo, quæ à regno Dei, non solum infideles excludit, sed & fideles quoque fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebrios, maleficos, rapaces, cæterosque omnes, qui lethalia committunt peccata, à quibus cum divinæ gratiæ adjumento abstinere possunt, & pro quibus à Christi gratia separantur. Hæc Concilium Tridentinum. Ex quibus duabus definitionibus constat damnatas esse simul Lutheri & Calvinii assertiones. Deinde, durante postea eodem Concilio, sub Julio tertio, sessione quarta, quæ sub illo celebrata est, definitum est, confessionem omnium peccatorum mortaliū esse necessarium, ex jure divino ad gratiam per peccatum perditam recuperandam: peccatorum autem venialium confessionem non esse necessariam, sed voluntariam. Ex qua definitione convincitur peccatum mortale ex natura, & ex proprio genere distingui à peccato veniali. Hujus autem definitionis sive decreti verba nolui impræsentiarum citare, quia inferius in titulo de penitentia, hæresi prima, sunt ad aliud propositum per me citanda: & nolui bis eandem sententiam canere. Si quis dicat, Calvinium non recipere decreta Concilii Tridentini, quia scripsit contra illud; fateor quidem ita esse, nec tamen Concilium illud suam auctoritatem admittit, quia Calvinus ita redarguit: sicut nec Concilium Nicænum amittit suam, propterea quod illius decreta contempserunt Arrius, & alii fautores illius.

Duodecima hæresis est fatetur discrimen aliquod esse inter peccatum mortale & veniale, non tamen illud, quod hæctenus à Catholicis omnibus receptum est, sed quod à nullo homine potest agnosci, & totius Ecclesiæ definitione damnatum est. Nam Joannes Vvicleph primus hujus hæresis inventor & auctor, dicit: Omne peccatum hominis prædestinatum esse veniale: quia nullum tale puniatur æterna morte: & omne peccatum hominis reprobis esse mortale, quia omne tale, ut ait, morte æterna plectendum est. Hæc assertio aperte convincitur esse hæretica testimonio peccati primi parentis Adæ. Nam peccatum illius fuisse mortale manifeste probatur per verba illa quæ post prohibitum esum ligni scientiæ boni & mali, dixit illi Deus: ( *Genes. 2.* ) *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Quæ verba potius de morte spirituali animæ, quam corporali sunt intelligenda, ut optime convincit Divus Eucherius Lugdunensis Episcopus, libro primo super Genesim, hæc dicens: Mortem dicit animæ, non corporis: quia non eo tempore mortui sunt, quando comederunt. Ergo hanc quam Deus homini minatus est mortem, non eam tantum debemus accipere, qua caro separatur ab anima, sed hanc qua hæc alienatur à Deo, qui est vita sua. Sicut enim corpus vivit ex anima, ita anima, ut beate vivat, vivit ex Deo. Ergo deferta à Deo anima, jure dicitur mortua. Ex qua tres postea secuta sunt mortes, prima in anima, secunda in carne, tertia in damnatione. Sed ut istæ sequerentur, prima præcessit desertio Dei. Hæc Eucherius. Et eodem modo post Eucherium interpretatur illa Dei verba beatus Gregorius, in quadam epistola ad Nasii comitem, quæ est quartadecima, libri quinti registorii. Si anima Adæ statim post peccatum fuit mortua: ergo peccatum illud, quod hujus mortis fuit causa, fuit vere mortale: quia illud est vere mortiferum, quod mortem alicui infert. Adam autem fuisse prædestinatum ad vitam æternam, constat ex eo quod illam adeptus est vitam, de qua Salomon testimonium reddit, quum vires & potentiam sapientiæ divinæ enarrans ait: ( *Sap. 10.* ) *Hæc illum primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit & educit illum à delicto suo.* Nec opus est plura pro salvatione Adæ asserere argumenta: quia superius in titulo de Adam & Eva, hæresi prima probavimus contra Tatianum, Adam fuisse salvum. Si Adam est salvus, & peccatum illius, ut probavimus, fuit mortale: ergo non omne peccatum hominis prædestinatum est veniale. Præterea David fuit prædestinatus ad vitam æternam, quod negari non potest, nisi forte ab eo qui sacram non erubescit negare scripturam. Nam præter alia prædestinationis suæ testimonia, vel illud est manifestum quod Paulus in epistola ad Hebræos illum inter sanctos enumerat. Peccatum autem adulterii quod David commisit concubans cum uxore Uriæ, convincitur fuisse mortale, per id quod Nathan Propheta dixit ipsi David, eum esse filium mortis, hoc est dignum pena mortis. ( *2. Reg. 12.* ) Quæ pena, ut omnes Theologi concorditer docent, nunquam ex lege divina infertur alicui, nisi propter peccatum mortale. Nam quia mors corporis, ut ex verbis Eucherii supra citatis constat, orta est primo à morte spirituali animæ, ideo ad illius primæ mortis exemplum, quoties aliquis ex lege divina morte corporali puniendus erat, oportebat ut mortale peccatum præcederet, quod talem merito exigeret mortem. Et nunc in lege Evangelica, nunquam aliquis juste occiditur, nisi propter peccatum mortale præcedens. Rursus, filius ille prodigus qui vivendo luxuriose totam suam substantiam consumpsit, prædestinatus esse convincitur ex fine vite suæ: quia perditionem suam agnoscebat, ad patrem à quo elongatus fuerat, rediit, & ab eo cum gaudio est receptus. ( *Luc. 15.* ) De filio tamen illo dixit pater, quando illum recepit: Filius hic mortuus erat & revixit. Quibus verbis manifeste docuit, peccatum illius filii prodigi fuisse mortale: quia cum illud commisit, tunc mortuus fuit: & revixit, quando illum præteritæ vite pœnituit. Deinde ex hac Vviclephi assertione multa absurda & inconvenientia sequuntur. Primo quidem sequitur, peccata quæ Deus remisit Magdalene, quoniam dilexit multum, fuisse omnia illa venialia. Contrarium tamen insinuat Evangelista, cum dixit anthonomastice fuisse mulierem in civitate peccatricem. Nam propter sola peccata venialia non diceretur per excellentiam mulier in civitate peccatrix. Sequitur etiam nullum prædestinatum posse ob hanc causam lætari, immo nec Deo gratias agere: quod aliquid ei tumquam peccatum mortale remisit. Sequitur tertio Sacramentum Penitentia non esse institutum pro prædestinatis, quia peccata venialia non sunt necessario in auriculari confessione dicenda, sed sola mortalia, quæ nunquam, ut Vviclephus ait, possunt committere prædestinati: ergo nunquam erit prædestinatis Sacramentum Penitentia necessarium. Sed neque reprobis umquam proderit Sacramentum penitentia: quia nunquam per illud Sacramentum remittitur aliquid peccatum mortale. Nam si remittatur, jam tunc, juxta Vviclephi sententiam, non erit mortale: quia solum illud dicit Vviclephus esse peccatum mortale, quod ducit in mortem æternam. In vanum ergo institutum est Penitentia Sacramentum, si nec reprobis neque prædestinatis prodest. Et inde ulterius sequitur falsam esse formam absolutionis, quotiens aliquem reprobum absolvens Sacerdos, dicit: Ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis. Neque solum Sacramentum Pœni-

æternam, constat ex eo quod illam adeptus est vitam, de qua Salomon testimonium reddit, quum vires & potentiam sapientiæ divinæ enarrans ait: ( *Sap. 10.* ) *Hæc illum primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit & educit illum à delicto suo.* Nec opus est plura pro salvatione Adæ asserere argumenta: quia superius in titulo de Adam & Eva, hæresi prima probavimus contra Tatianum, Adam fuisse salvum. Si Adam est salvus, & peccatum illius, ut probavimus, fuit mortale: ergo non omne peccatum hominis prædestinatum est veniale. Præterea David fuit prædestinatus ad vitam æternam, quod negari non potest, nisi forte ab eo qui sacram non erubescit negare scripturam. Nam præter alia prædestinationis suæ testimonia, vel illud est manifestum quod Paulus in epistola ad Hebræos illum inter sanctos enumerat. Peccatum autem adulterii quod David commisit concubans cum uxore Uriæ, convincitur fuisse mortale, per id quod Nathan Propheta dixit ipsi David, eum esse filium mortis, hoc est dignum pena mortis. ( *2. Reg. 12.* ) Quæ pena, ut omnes Theologi concorditer docent, nunquam ex lege divina infertur alicui, nisi propter peccatum mortale. Nam quia mors corporis, ut ex verbis Eucherii supra citatis constat, orta est primo à morte spirituali animæ, ideo ad illius primæ mortis exemplum, quoties aliquis ex lege divina morte corporali puniendus erat, oportebat ut mortale peccatum præcederet, quod talem merito exigeret mortem. Et nunc in lege Evangelica, nunquam aliquis juste occiditur, nisi propter peccatum mortale præcedens. Rursus, filius ille prodigus qui vivendo luxuriose totam suam substantiam consumpsit, prædestinatus esse convincitur ex fine vite suæ: quia perditionem suam agnoscebat, ad patrem à quo elongatus fuerat, rediit, & ab eo cum gaudio est receptus. ( *Luc. 15.* ) De filio tamen illo dixit pater, quando illum recepit: Filius hic mortuus erat & revixit. Quibus verbis manifeste docuit, peccatum illius filii prodigi fuisse mortale: quia cum illud commisit, tunc mortuus fuit: & revixit, quando illum præteritæ vite pœnituit. Deinde ex hac Vviclephi assertione multa absurda & inconvenientia sequuntur. Primo quidem sequitur, peccata quæ Deus remisit Magdalene, quoniam dilexit multum, fuisse omnia illa venialia. Contrarium tamen insinuat Evangelista, cum dixit anthonomastice fuisse mulierem in civitate peccatricem. Nam propter sola peccata venialia non diceretur per excellentiam mulier in civitate peccatrix. Sequitur etiam nullum prædestinatum posse ob hanc causam lætari, immo nec Deo gratias agere: quod aliquid ei tumquam peccatum mortale remisit. Sequitur tertio Sacramentum Penitentia non esse institutum pro prædestinatis, quia peccata venialia non sunt necessario in auriculari confessione dicenda, sed sola mortalia, quæ nunquam, ut Vviclephus ait, possunt committere prædestinati: ergo nunquam erit prædestinatis Sacramentum Penitentia necessarium. Sed neque reprobis umquam proderit Sacramentum penitentia: quia nunquam per illud Sacramentum remittitur aliquid peccatum mortale. Nam si remittatur, jam tunc, juxta Vviclephi sententiam, non erit mortale: quia solum illud dicit Vviclephus esse peccatum mortale, quod ducit in mortem æternam. In vanum ergo institutum est Penitentia Sacramentum, si nec reprobis neque prædestinatis prodest. Et inde ulterius sequitur falsam esse formam absolutionis, quotiens aliquem reprobum absolvens Sacerdos, dicit: Ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis. Neque solum Sacramentum Pœni-

tentia erit inutile, sed ipsa etiam penitentia, quæ virtus dicitur, erit inutilis: quoniam nullum per illam reprobis remitteretur peccatum mortale. Contrarium tamen Deus per Ezechielem Prophetam cap. 18. promissit, dicens: *Si autem impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & justitiam, vita vivet & non morietur.* Quæ verba cum sint absolute sine ulla limitatione dicta, necessario sunt intelligenda de omnibus, tam reprobis quam prædestinatis. Accedit ad hæc omnia, quod nullus quantumlibet doctus poterit scire de peccato aliquo an sit mortale, an veniale: quia nullus nisi ex Dei speciali revelatione poterit scire de se, neque de alio an sit prædestinatus, an reprobus. Denique hæc sententia damnata est in Concilio Tridentino, quod in sessione sexta sub Paulo tertio celebrata, inter multos alios canones hunc decimumseptimum pronuntiavit. Si quis justificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate prædestinatos ad malum, anathema sit. Hæc Concilium Tridentinum. Quibus verbis aperte declaravit reprobis aliquando esse in gratia perinde ac prædestinatos. Ex quibus ultra deducitur, peccatum mortale reprobis aliquando dimitti, & non omne peccatum illius esse mortale: quia quando justus est, potest in aliquod peccatum labi, per quod non amittit iustitiam, prout in proxime præcedente hæresi probatum est. Contra hanc hæresim pugnant etiam illa omnia, quæ inferius dicemus in titulo de prædestinatione. Contra hunc Vviclephi errorem scripsit Thomas Vvalden. in libro de Sacramentis, cap. 155.

Alius est etiam error, qui huic proposito convenit, & præsentem materiam quodammodo respicit. Sed de illo in titulo de potestate disputabimus, quoniam ibi commodius & aptius locatus est.

PEREGRINUS.

DE hac re unam solum reperi hæresim, & quidem nimis crudelem, & ab omni humana ratione profusus alienam: quæ docet non esse impendendam humanitatis curam peregrinis. Hujus erroris pestiferi auctor (ut Bernardus de Lutemburgo in suo cathologo hæreticorum ait) fuit Diotrophes quidam Apostolis cœvus, de quo B. Joannes Apostolus & Evangelista in sua 3. Cathol. epist. ita ait: *Scriptissem forsitan Ecclesiæ, sed his qui amat primatum gerere in eis Diotrophes non recipit nos. Propter hoc si venero, commonebo ejus opera quæ facit, verbis malignis garruens in nos. Est quasi ei ista non sufficiant, neque ipse suscipit fratres: & eos qui suscipiunt, prohibet, & de Ecclesia ejicit.* Hucusque ex B. Joanne. Quæ verba exponens venerabilis Beda in commentariis super epist. Canonicas, ita ait: Diotrophes (ut videtur) erat hæresarcha temporis illius, superbus & insolens, malens nova docendo primatum usurpare scientiæ, quam antiquis Sanctæ Ecclesiæ quæ Joannes prædicabat, humiliter auctare mandatis. Unde bene Diotrophes insulsum, five decor insanus dicitur, ut perfidiam cordis etiam nomine significet. Hæc Beda. Sed neque ex verbis beati Joannis Evangelistæ, neque Bedæ illius interpretis, constat Diotrophem tale aliquid sensit quæle illi tribuit Bernardus de Lutemburgo in suo Cathologo. Constat quidem illum fuisse hæreticum, non tamen illius hæresis indicatur. Nam propter hoc quod beatus Joannes de illo dixit: Ne-

que



lum promittit se non amplius habiturum illum, tamquam inimicum, sed hoc non obstat, ut post amicitiam conjunctam illum amice puniat, præsertim quod juxta Pauli doctrinam (Heb. 12.) Flagellat Deus omnem filium, quem recipit.

Secundo nobis objicit Lutherus, quod Christus pro nobis omnibus satisfecit, & ideo videtur Luthero, quod injuriam facit Christo peccator, qui pro suis peccatis Deo satisfacere conatur: quia eo ipso minere videtur gloriam passionis Christi, quasi illa non fuisset sufficiens ad satisfactionem pro nostris peccatis. Hoc argumentum valde extollunt Lutherani, & per illud se triumphare putant: sed re vera argumentum hoc nullam habet, vel mediocrem efficaciam, quæ viros doctos tantillum movere possit; sed solum habet quamdam apparentiam adumbratæ religionis, & falsæ pietatis, quæ viros indoctos fallere possit. Nam si hoc argumentum aliquid valeret, etiam per illud probaretur, non esse necessariam penitentiam. Quia si peccator factus est per peccatum diaboli servus, & ab eo captivus tenetur, potest argui, quod ad redemptionem obtinendam non est opus, ut ille de peccato doleat, aut illud confiteatur, aut aliquid aliud faciat: quia jam Christus seipsum dedit, ut Paulus testatur, (1. Tim. 2.) in redemptionem pro omnibus. Si peccator irritavit iram Dei, & factus est inimicus ejus per peccatum, argui etiam potest non esse opus, ut nos contritione nostra, aut gemitu nostro Deum placare conemur, & illum nobis face-  
re propitium: quia ille factus est, ut Joannes ait, (1. Joan. 2.) propitiatio pro peccatis nostris, & non tantum pro nostris, sed pro totius mundi. Non ergo ploremus nos, quia Christus pro nobis levit: non tristemur nos, quia ille pro nobis tristatus est. Ecce quid valet Lutheri argumentum, quod in multis horrendas perditiones nos injiceret, si illud aliquid valeret. Certe non ideo Christus pro nobis in cruce pependit, ut nos desides & ignavos faceret, & vitam amplam nobis permitteret. Christus pro nobis passus est (ait Petrus (1. 2.) nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Non quidem, ut nos laute comedamus, & delicatis indueremur, aut in reliquis corporis delictis versaremur, Christus pro nobis passus est, sed ut illius exemplo nos tolleremus crucem nostram propter illum: fatemur itaque Christum pro nobis satisfecisse, eodem modo quo factus est nobis redemptio, propitiatio, & reconciliatio. Sicut igitur non obstant prior redemptione per Christum facta, qui post baptismum peccat, teneatur poenitere, ut à servitute peccati liberetur, & à captivitate diaboli redimatur: ita etiam non obstant prior satisfactione per Christum facta, qui post baptismum peccat, teneatur per se satisfacere, & suam satisfactionem, quæ alias non esset valida, cum Christi satisfactione connectere, ut per illam valeat, quod per se valere non possit. Nam Propheta regius quærens quid Deo ad satisfactionem debitum reddere possit, dixit: (Psalm. 115.) *Carilem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Ut autem hæc omnia clara faciamus, operæpretium erit declarare quomodo sint intelligendæ omnes istæ propositiones, quæ in variis sacra scripturæ locis continentur. Christus redemit omnes homines. Christus se dedit in redemptionem pro omnibus. In Christo omnes vivificabuntur. Deus vult omnes homines salvos fieri. Nam eodem modo erit interpretanda ista, de qua nunc disputamus, Christus satisfecit pro peccatis omnium hominum. Omnes istæ propositiones habent, quamdam specialem universalitatem, quæ à recentioribus Dialecticis vocatur distributio accomoda, ita ut vox universalitatem denotans, non se extendat ad omnia significata per vocem illi proxime conjunctam, sed solum ad ea, quæ specificantur per verbum adjectivum, quod sequitur illam, aut per prædicatum. Sunt ergo omnes istæ propositiones hoc modo interpretandæ. Christus redemit omnes homines, hoc est, Christus redemit omnes qui redempti, aut redimendi sunt. Aut, nullus homo nisi per Christum redimitur. In Christo omnes vivificabuntur, id est, omnes qui vivificandi sunt, in Christo vivificabuntur. Aut, nullus qui vivificatur, habet vitam nisi per Christum. Deus vult omnes homines salvos fieri, hoc est, Deus vult omnes homines qui salvandi sunt, salvos fieri. Aut, Nemo nisi Deo volente salvatur. Et certe nisi omnes istæ propositiones juxta hunc modum intelligantur, vix illarum veritas constare poterit. Nam multi sunt homines in perpetua demonis captivitate & servitute ab eo detenti: multi etiam in perpetua morte damnati, & in inferno sepulti, qui nullo modo redempti sunt, neque in Christo vivificati, & per consequens nec salvi facti. Hoc tamen non ideo contingit, quia redemptio per Christum oblata, non fuerit illis sufficiens perinde ac aliis qui redempti sunt. Neque ideo quod Christus non fuerit potens illis reddere vitam, aut salvos illos facere, perinde ac alios: sed quia illi noluerunt uti redemptione per Christum data, neque voluerunt accipere conditionem redemptionis, reconciliationis & vitæ & perpetuæ salutis. Non enim omnibus redemptionem, & reconciliationem, & salutem perpetuam obtulit: sed illis solum qui Dei mandata custodierint. Vos amici mei estis (inquit Christus (Joann. 15.) si mandata mea feceritis. Et iterum: (Ibidem. 14.) Si diligitis me, mandata mea servate. Et rursum: (Math. 19.) Si visis ad vitam ingredi, serva mandata. Ecce promittit amicitiam suam & postea vitam, hæc tamen conditione, si mandata illius fecerint. Et inde est quod qui mandata Dei non custodit, non est amicus illius, neque ad vitam æternam perveniet & per consequens non est redemptus à demonis captivitate. Ut ergo vere cum Paulo dicamus, Christum redemisse omnes, & in Christo omnes esse vivificatos, oportet necessariò omnia verba illa, juxta sensum quem jam diximus, interpretari. Sed ne quis putet hæc verborum Pauli interpretationem ex meo cerebro esse confictam, ac perinde illam merito rejiciendam esse credat, ad hujus interpretationis confirmationem profero testimonium beati Augustini, qui in epistola ad vitalem hæc ait: Sicut illud quod dictum est, omnes in Christo vivificabuntur, cum tamen multi æterna morte puniantur, ideo dictum est, quia omnes qui vitam æternam percipiunt, non percipiunt nisi in Christo: ita quod dictum est, omnes homines vult Deus salvos fieri, ideo dictum est, quia omnes qui salvi fiunt, nisi ab ipso vult lente non fiunt salvi. Hæc Augustinus. Et in libro de origine animæ ad Hieronymum interpretans illa verba Pauli: (1. Cor. 15.) Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur, hæc ait: Per hæc enim Apostolicam, divinam, clarumque sententiam, satis evidenter elucet, neminem ire in mortem nisi per Adam, neminem in vitam æternam nisi per Christum: hoc est quippe omnes, & omnes. Quia sicut omnes homines per primam, hoc est per carnalem generationem pertinent ad Adam, sic omnes homines ad secundam, id est, spiritualem generationem veniunt, quicumque ad Christum veniunt. Hæc Augustinus. Ex interpretatione ergo predictorum Pauli verborum, colligitur Christ-

eodem modo intelligendam esse hæc propositionem, Christus satisfecit pro omnibus, id est, Christus satisfecit pro omnibus, qui pro peccatis suis satisfaciunt. Aut aliter & melius, nemo nisi per Christum pro peccatis suis satisfaciunt. Nam & si quis jejuret, aut oret, aut elemosinas faciat, aut quodvis aliud opus penale faciat, numquam per illud pro peccato suo satisfaciunt, nisi mediante merito passionis Christi, propter quam hoc largissimum munus habemus à Deo, ut per opera nostra Deo pro peccatis nostris satisfacere possimus: per quæ numquam Deo satisfaceremus, nisi passione sua Christus hoc nobis impetrasset. Et hinc facile constat nihil nos Dei gloriæ detrudere, quum dicimus satisfactionem nostram esse nobis necessariam ad perfectam remissionem peccatorum obtinendam. Nam hoc dicentes, potius gloriam Dei augemus, & meritum passionis Christi extollimus: quia dicimus Christum passione non solum satisfecisse pro nobis, sed etiam meruisse, ut opera nostra essent satisfactoria, quæ seclasta Christi passione, hæc tantam dignitatem habere non possent. Deinde fatemur Christum pro omnibus peccatoribus satisfecisse, sed hæc satisfactionem nulli peccatori applicat, nisi mediante aliquo Sacramento, aut bono opere ipsius peccatoris. Et hinc est quod qui plura, aut majora bona propter Deum pro remissione peccatorum facit, magis illi tribuit Christus de merito passionis suæ, ad satisfaciendum pro peccatis suis. Unde ait Paulus: (2. Tim. 2.) *Fidelis sermo. Nam si commortui sumus, & convivemus: si sustinebimus & conregnabimus.* Quum autem mediante Sacramento communicatur poenitenti satisfactionis passionis Christi, quanto præstantius & potentius ad remissionem peccati fuerit Sacramentum, tanto magis per illud communicatur homini de merito passionis ad redemptionem peccati, & satisfactionem pro illo. Sacramentum autem baptismi, ut infra dicemus, præstantius est quam Sacramentum poenitentiae, & ideo quamvis per illud simul remittatur culpa & pena, non tamen per hoc sic remittitur. Tertio nobis objicit Lutherus nomen satisfactionis, quod à Theologis Scholasticis falso confectum esse dicit, quia numquam in sacris litteris illud reperitur, neque à Sanctis Patribus, ut ille ait, fuit unquam usitatum. Ut autem mens Lutheri, immo potius illius dementia omnibus sit nota, verba illius hic citare decrevi, quæ ille in impugnatione Bullæ Leonis decimi, articulo quinto ait, & sunt quæ sequuntur. Quare verum dixi, arbitriam istam satisfactionem, neque in scripturis, neque in patribus inveniri, inveniri autem penam irremissibilem à Deo impostam pro peccatis. Et paucis interpositis subdit. Vehementer autem odi, & sublatum vellem hoc vocabulum satisfactio, quod non modo in scripturis non invenitur, sed & periculosum habet sensum, quasi Deo quisquam possit pro ullo peccato satisfacere, cum ille gratis ignoscit omnia. Hæc Lutherus, qui etsi dicat se odio habere vocabulum satisfactionis, multo tamen acerbius, ut dixi, execratur rem ipsam, quam vocabulum. Nam ille abominatur jejunia, flagella, castitatem, vigiliis, peregrinationes, & reliquos omnes corporis labores: amat carnis illecebras. Et inde constat illum satisfactionem ipsam habere exosam, quia illa consistit in operibus duris & asperis. Sed videamus quid nobis de vocabulo objicit: dicit primo illud in sacris scripturis non inveniri. Cum de vocabulo, & non de re ipsa contendat, de vocabulo solo respondeo, falsum esse, quod ait. Nam vocabulum satisfactionis habetur Levitici, capite 10. &

Actuum 17. & 24. & 1. Pet. 3. quamquam in nullo istorum locorum sit sermo de illa satisfactione quæ fit Deo pro peccatis. Sed esto vocabulum istud non invenitur in sacris litteris, non tamen ideo consequens est, ut non liceat viris Catholicis illo vocabulo uti. Nam sacra litteræ præscribunt nobis leges de operibus, quæ facere debemus, & de rebus quas credere tenemur: non tamen de vocabulis quibus necessario uti oportet. Quoniam quum de re ipsa constat, parum refert, si hoc, aut illo vocabulo utamur. Certe vocabulum consubstantialitatis minime invenitur in sacris litteris, nec tamen ideo Ecclesia recusavit illo uti, dicens filium esse consubstantialem Patri: quamvis Arrius vocabuli novitatem objicere. Ita & nunc Ecclesia Catholica satisfactionis vocabulo utitur & utetur, quamvis Lutherus, & illius sectatores dicant se illo vocabulo offendi. Dicit deinde Lutherus, vocabulum hoc non esse à Sanctis Patribus usitatum, neque apud illos inveniri. Sed hæc dicens, aut mentitur, aut aperte offendit se tunc, cum hoc scripsit, parum fuisse versatum in lectione sacrorum Doctorum, quoniam multi ex illis sunt, qui illo vocabulo utuntur. Omitto hic recentiores, & ex antiquis primum offero Gregorium, qui homilia trigesima quarta super Evangelia, sic ait: „ Cogitandum sumimopere est, ut qui se illicita meminit, commississe, à quibusdam etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc conditori suo satisfaciatur, ut qui commisit prohibita sibi metipsum, abscondere debeat etiam concessa. Hæc Gregorius, qui etiam homilia vigesima quarta, quæ est de parabola ovis errantis, eodem vocabulo utitur in ea significatione, quæ ostendit nos per opera nostra satisfacere Deo pro peccatis. Leo Papa hujus nominis primus in epistola 89. quæ est ad Theodorum Forolinensem Episcopum, hæc ait: „ Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus hæc præposuit Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & consentibus satisfactionem poenitentiae daret, & eadem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum, per januam reconciliationis admitteret. Hæc Leo Papa, vir sanctitate perinde ac doctrina clarus. Hieronymus super Malachiam ait: „ Qui peccator est, & quem remorsus det propria conscientia, elicio poenitentia accingatur, & plangat, vel propria delicta, vel populi, & ingrediat Ecclesiam, de qua fuerat egressus, & cubet, vel dormiat in sacco, ut præteritas delicias, per quas Deum offenderat, vitæ austeritate compenset. Hæc Hieronymus, qui compensationis vocabulo pro satisfactione usus est, quia eadem est utriusque vocabuli significatio, & unum pro altero sæpissime apud probatos auctores poni solet. Ambrosius in libro ad virginem lapsam, cap. 8. hæc ait: „ Peccator ergo si sibi ipsi non pepercit, à Deo illi parcitur. Et si futuras pœnas gehennæ petuas in hoc parvo vitæ spatio compensaverit, seipsum ab æterno judicio liberat. Grandi plagæ alta & prolixia opus est medicina. Grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem. Hæc Ambrosius, qui simul compensationis & satisfactionis vocabulo usus est. Cyprianus epistola tertia, libri primi, quæ est ad Cornelium Papam reprehendens errorem quorundam, qui specie misericordie seducti, lapsos in idololatram, facile Ecclesiæ reconciliabant, hæc ait: „ Intercedunt ne exoretur precibus & satisfactionibus Christus, qui negantem se negare profiteatur. Datur opera ne satisfactionibus & lamentationibus justis delicta redimantur, ne vulnera lachrymis abluantur. Pax vera falsæ pacis mendacio



tolitur. Hæc Cyprianus in loco illo: Et sermone quinto De lapsis invehens in eos qui negant necessarium esse lapsis satisfactionem pro peccatis, dicit multo perniciosiores esse illos & multo crudeliores, quam tyranni persequentes Christianos, & tandem hæc ait: Deus quantum patris pietate indulgens semper & bonus est, tantum iudicis maiestate metuendus est. Quam magna deliquimus, tam granditer desicamus. Alto vulnere diligens & longa medicina non desit: peccata minor crimine non sit. Puras de Dominum cito posse placari, quem verbis perfidis abnuisti, cui pariter trimonium præponere maluisti, cuius templum sacri, legi contagione violasti? Orare oportet impensius & rogare, diem luctu transigere: vigiliis noctes, ac flebilibus ducere: tempus omne lachrymosis lamentationibus occupare: stratos solo, adherere cineri: in cilicio volutari & sordibus: post indumentum Christi perditum, nullum jam velle vestitum: post diaboli cibum malle jejuniis: iustis operibus incumbere, quibus peccata purgantur: elemosinis frequentius insistere, quibus à morte animæ liberantur. Et paucis interpositis subdit in calce. Qui sic Deo satisfecerit, qui penitentia facti sui, qui pudore delicti plus virtutis, & si dei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus & adjutus à Domino, quam contristaverat nuper, lætam faciet Ecclesiam, neque solam Dei vespem merebitur, sed coronam. Hæc tamen Cyprianus, qui non solum ipsam rem satisfactionis explicat, sed hoc declarans, vocabulo satisfactionis sepe utitur. Tertulianus in libro de penitentia hoc etiam vocabulo utitur, hæc dicens: Confessio satisfactionis consilium est: satisfactio confessione disponitur: penitentia Deus mitigatur. Hæc Tertulianus. Ex his omnibus clarissimorum virorum testimoniis apertissime convincitur falsum esse, quod Lutherus cum magna temeritate asseruit, satisfactionis vocabulum non reperiri in Sanctis Patribus. His omnibus probe consideratis non possum non mirari Lutheri & suorum sequacium dementia: quia dum Deum nimis misericordem facere volunt, illum injustum facere contendunt. Nam injustum esset quælibet gravissima crimina sine punitione dimittere. Deinde illi omnes fatentur, peccatum originale quod aliena voluntate contrahimus, sic nobis dimitti per baptismum, ut postea remaneat poena illius, videlicet concupiscentia carnis, quæ etiam per Christi satisfactionem, ut illi dicunt, deleri non potuit quin sit peccatum. Ex qua sententia convincitur illos existimare peccatum originale esse multo gravius quam actuale mortale, quia mortali dimisso nulla postea remanet poena: originali autem dimisso, manet poena propter illud insinecta, quæ tam gravis est, juxta illorum sententiam, ut semper sit homini peccatum, & nunquam occasio meriti. Convincitur etiam eadem ratione illos pluris facere penitentiam quam baptismum: quia per penitentiam dimisso peccato actuali, ut illi dicunt, dimittitur omnis poena quæ illi debet: dimisso autem peccato originali per baptismum, non tollitur omnis poena. Hoc autem fateri summa est impietas: quia omnes Sancti Patres semper docuerunt baptismi Sacramentum esse multo præstantius quam penitentiam, & hoc ipsum deservierunt patres in Concilio Tridentino, sessione quarta sub Julio tercio celebrata, ubi capite secundo suæ doctrinæ, hæc verba me ibidem præfente protulerunt. Cæterum hoc Sacramentum multis rationibus à baptismum differre cognoscitur. Nam præterquam quod materia & forma, quibus Sacramenti essentia perficitur, lon-

gissime dissidet, constat baptismi ministerium iudicem esse non oportere, cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismum janam fuerit ingressus. Quid enim mihi, inquit Apostolus (1. Cor. 5.) de his qui foris sunt iudicare? Secus est de domesticis fidei, quos Christus lavato baptismi, sui corporis membra semel effecit. Nam hos si se postea crimine aliquo contaminarunt, non jam repetito baptismum ablui, cum id Ecclesiæ Catholicæ nulla ratione liceat, sed ante hoc tribunal tamquam reos sibi voluit, ut per Sacerdotum sententiam non semel, sed quotiens ab admisis peccatis ad ipsam penitentes confugerent, possent liberari. Alius est præterea baptismi, & alius penitentia: studium. Per baptismum enim Christum induentes, nova profus in illo efficiuntur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes. Ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum penitentia sine magnis nostris fletibus & laboribus, divina id exigente iustitia, pervenire nequaquam possumus, ut merito penitentia laboriosius quidam baptismum à Sanctis Patribus dictus fuerit. Est autem hoc Sacramentum penitentia: lapsus post baptismum ad salutem necessarium, ut pondus regentis ipse baptismus. Hæc tamen Concilium Tridentinum. Ex quibus verbis constat quantum baptismi Sacramentum, excellat Sacramentum penitentia: cum per illud omnis remittatur poena, per hoc autem non. Nam est post baptismum maneat concupiscentia, illa non relinquitur in poenam, sed ad cautelam, ut nos hæc occasione vigilantes & cautioresemus, tamquam qui domesticum hostem habent. Ob hanc enim causam Deus statuit, (Jud. 15.) ut expugnata à filiis Israel terra promissionis, semper inter eos maneret Jebuseus, & nunquam extirparetur, ne otio torperent. Sic etiam, ut necessitas eos ad laborem & cautelam cogeret, Deus hostem spiritui nostro reliquit, carnis videlicet concupiscentiam, cuius perpetuas insidias semper timere oportet. Potius igitur ad cautelam & commodum nostrum quam ad poenam carnis motus spiritui repugnantes nobis post baptismum reliquit Deus; quoniam est nobis negotium non parvum facessunt, utilitatem tamen magnam, si illos devincimus, inde consequemur. In baptismum ergo non solum remittitur culpa, sed etiam omnis poena, quæ propter peccatum actuale erat exolvenda. Quicumque enim baptizati sumus in Christo Jesu, ut ait Paulus (Rom. 6.) in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vite ambulemus. Sicut igitur nullum vestigium vite corporalis mansit in Christo postquam mortuus & sepultus est, ita nullum vestigium peccati manet in baptizato, quia conspuitus est cum Christo per baptismum. Per penitentiam autem non est sic mortuum peccatum, neque per illam penitens dicitur esse conspuitus Christo: neque per illam dicitur fieri nova creatura, quemadmodum per baptismum. Quia est per Sacramentum penitentia: culpa remittitur, non tamen tota semper remittitur poena. Et hoc est quod Paulus ad Hebræos cap. 6. ait: *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam novitatem veritatis, jam non relinquitur hostia pro peccato.* Hoc ideo dicit, quia non iterum passio Christi offerenda est pro nobis ad mortem peccati, quemadmodum in baptismum offertur. Nam Christus, ut alibi Paulus ait: (Roman. 6.) *semel pro nobis mortuus est.* Si pro peccatis post mortem commissis sola Christi passio sufficeret semper ad plenam remissionem peccati impetrandam per

Sacramentum penitentia, sicut per baptismum, inde sequeretur quod Christus pro nobis pluries moreretur, & non semel, & quod alia esset hostia pro peccatis post acceptam novitatem veritatis. Nam hoc argumento probat alibi Paulus, baptismum non esse iterandum: quia qui iterat illud, rursus crucifigit sibi mortis filium Dei. Et hæc esse verum Pauli sensum, testatur Anselmus, qui in commentariis super Paulum interpretans illa prædicta verba ex epistola ad Hebræos, hæc ait: Non enim Christus iterum immolandus est pro peccatis, quod semel factum est, & secundo non est opus, sed magis oportet nos in fide & bonis operibus manere. Non excludo penitentiam, sed secundum baptismum. Non dico, non est ultra penitentia vel remissio, sed hostia, id est, crux secunda: quia una sufficit, nec amplius. hanc expetimus, sed peniteamus, quia rebaptizari in morte Christi non possumus. Qui enim iterat baptismum, iterat rursus mortem Christi, ut ex ea iterata fiat iterata remissio. Sed hoc impossibile est. Non talis hostia nobis relinquatur, si post baptismum nos inquinaverimus. Hæc Anselmus. Eodem modo interpretatur illa verba Haymo in commentariis super epistolam Pauli. Contra hanc pestilentissimam hæresim non est opus amplius disputare, quia per ea quæ diximus, satis aperte de sua falsitate convincitur. Secunda hæresis ait penitentiam quæ ex timore gehennæ oritur, hæc non solum inanem, verum etiam noxiam. Hujus hæresis auctor est etiam Lutherus, qui ad hunc scopum suam doctrinam visus est dirigere, ut peccatores à penitentia averteret, & ad peccandum impelleret. Hic enim ait pestiferam esse penitentiam quæ à timore gehennæ ortum habet. Quapropter ait, malum esse talem timorem peccatoribus incutere, ut inde ad penitentiam confurgant. Verum de hoc errore jam supra disseruimus in titulo de confessione: quapropter non erit opus nunc ea repetere. Tertia hæresis omnem penitentia: virtutem tollit, dicens eos qui semel lapsi sunt, nunquam postea consequi remissionem, quantumlibet postea peniteant. Hujus hæresis auctor fuit Novatus quidam Romanæ Ecclesiæ Præbyter, à quo Novatiani appellati sunt. Vocantur etiam alio nomine Cathari, id est mundi, propter munditiam quam superbissime de seipsis prædicabant. Et hoc nomen illi sibi ipsi arrogantissime indiderunt. Qui hujus rei historiam plene nosse cupit, legat Eusebium Cæsariensem libro sexto historiæ Ecclesiasticæ capite trigesimo octavo. Verum & si omnes qui de hæresibus scripserunt, hunc errorem tribuant huic Novato tamquam primo illius inventori, tamen beatus Hieronymus libro secundo adversus Jovinianum dicit etiam hunc fuisse errorem Montani quem constat esse Novato vetustiore, quoniam ille sub Commodio Imperatore, & Sothero Papa fuit: hic autem sub Decio & sub Cornelio. Quicumque ergo fuerit hujus hæresis primus inventor, ille certe duram fatem invenit sententiam, & à misericordia divina nimis alienam. Quapropter credo eos non fuisse misericordiam consecutos qui hanc hæresim docuerunt: quoniam (ut ait Jacobus Apostolus cap. 2.) *Judicium sine misericordia fiet ei qui non fecerit misericordiam*, præsertim cum non sit alia res pluries & apertius in sacris codicibus prodita, quam misericordia quam Deus erga peccatores maxime penitentes exercet, illis peccatorum suorum indulgentiam tribuens. Si penitentia non promeretur indulgentiam peccatorum, frustra ille qui penitentiam agebat in favilla & cinere,

Deum pro suis peccatis deprecabatur, dicens (Job. 41.) *Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis.* Frustra petit, qui certus est se non posse impetrare quod petit. Verum sanctus Job melius de misericordia divina quam Novatus sentiens, id petit quod se obtinere posse credit. (Job 14.) Et David adulteri à se commissi penitens, Dominum precatur, dicens: (Psal. 50.) *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* David magnam agnoscat esse misericordiam divinam, & multitudinem miserationum illius scit: ideo cum confidentia à Deo misericordiam petit, tamquam ab eo qui illam donare poterat. Tanta est enim benignitas omnipotentia, & omnipotentia benignitatis in Deo, ut nullum sit peccatum quod non velit, aut quod non possit remittere peccatori penitenti. Si enim aliquod esset peccatum quod remittere non posset non esset omnipotens: aut si cum posset remittere non vult, jam non est plene misericors, cum ad plenam misericordiam id exigatur, ut totum quod possit, velit, si malitia penitentis non obstat. Rex ille Evangelicus, cui se Dominus per parabolam similitavit omne debitum dimisit servo suo, quoniam rogavit eum (Math. 8.) & quia ille cum alio confervo non exercuerat eandem misericordiam, conjectus est in vincula & carcerem. Præterea, Salomon in libro Sapientia, cap. 7. ait: *Militia sapientiam non vincit.* At si aliquod peccatum esset quod non posset aut nollet benignitas remittere: sapientia esset victa à malitia, aut superata illius potentia, si non posset: aut superata misericordia, si non vult. In eodem libro iterum dicitur, cap. 11. *Disimulat Deus peccata hominum propter penitentiam.* Quid est disimulare, nisi non punire cum possit? Non autem puni, quia patientia Dei (ut ait Apostolus Rom. 2.) *expectat peccatorem ad penitentiam.* Si autem peccatori nihil esset profutura penitentia, frustra illum Deus expectat, cum ex tali expectatione peccator nullum commodum habere potest. Verum quia per talem penitentiam peccator assequitur suorum peccatorum remissionem, & postea vitam æternam, ideo Deus peccatorem non statim post peccatum commissum punit, sed expectat ut penitentiam agat, dicens: (Ezech. 18.) *Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat.* Qui ergo conversionem peccatoris optat, propter ipsum peccatoris commodum optat, & non propter suum, quoniam Deus bonorum nostrorum non indiget. (Psal. 11.) Ecclesiasticus etiam hanc eandem docet sententiam, cap. 21. dicens: *Fili peccasti, ne adjicias iterum: & de præteritis deprecare, ut tibi dimittantur.* Si peccatum per penitentiam non dimitteretur, frustra Ecclesiasticus monet peccatorem ut peteret à Deo peccatorum suorum remissionem. Rursus, Esaias Propheta promittit peccatori, si penituerit, peccatorum indulgentiam, dicens, cap. 55. *Derelinquit impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miseretur eius: & ad Deum nostrum quoniam multus est ad ignoscendum.* Et per Hieremiam Prophetam, cap. 18. Dominus ait: *Si penitentiam egerit gens illa à malo suo quod locutus sum adversus illam, agam & ego penitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei.* Hoc idem per Ezechielem Prophetam cap. 18. Dominus promittit, dicens: *Si impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor. In iustitia sua quam operatus est, vivet. Quid er-*



